



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Compendiosa Praxis Beneficiaria

Nicolarts, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1658

Pius Papa II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61991)

obstante dictâ coadjutoriâ, atque adversario perpetuum silentium impositum, uti videre est apud *Chokier ad reg. 8. gloss. II. sub num. 23.* & nos referemus *infra tit. 3. dub. 3. §. 13.*

Et sub indultis Apostolicis cadunt.

§. 17. Quin & easdem dignitates, ac beneficia electiva cadere sub Indulto Apostolico Vniversitatibus studiorum generalium concessio rectè consuluit *Wamesius in consil. canonic. tom. 1. consil. 257. per tot.* ubi non minùs eleganter, quàm doctè hanc materiam discutit in puncto Thesaurariæ ad favorem nominati ab Vniversitate Lovaniensi.

Excipiuntur Leodienses.

§. 18. Cessat tamen apud Leodieneses hæc reservatio, præfertim circa Decanatus, ad quos in quocumque etiam mente vacantes ex peculiari Indulto Pontificio facultatem habent personas idoneas eligendi, quod majoris cognitionis ergò hîc subijcio.



PIUS PAPA II.

Exordium.



D perpetuam rei memoriam. Cunctis orbis Ecclesiis disponente Domino Præsidentes, circa ipsarum ac dignitatum earundem statum salubriter dirigendum sollicitis studiis vigilamus, easq; sic cupimus utilis Nostræ provisionis ope dirigi, ut prosperis, auctore Domino, jugiter proficiant incrementis,

In ultimum Pii Papæ 2. concessum Clero Leodiensi eligendis Decanos in omnî mense.

Motivum hujus indulti.

Num. I. Cùm itaque, sicut accepimus, Decanis Majoris, & Collegiatarum Ecclesiarum Civitatis & Diocesis Leodiensis ut plurimum incumbat onus Capitulis Ecclesiarum ipsarum præsidendi, aut singula ad directionem Divini cultus spectantia disponendi, ac majoritatem, & præla-

prælationem quodammodo sapientiâ faciendi, ad quæ non omnes, quos fors obtulerit, sed quorum industria meritò comprobanda fuerit, assumendi sunt viri idonei, qui ea sciant debita cum decencia & gravitate, ac ipsarum Ecclesiarum venustate laudabiliter exercere.

II. Nos igitur habito Ecclesiarum ipsarum decentiæ & venustatis respectu, cupientesq; ut ad Decanatus ipsos, quoties illos pro tempore vacare contigerit, viri duntaxat assumantur idonei, sperantesq; quod personæ Ecclesiarum ipsarum, quæ illorum, cum quibus assidue conversantur, mores per quotidianam experientiam cognoverunt, id scient faciliè adimplere, Motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de Nostra mera liberalitate, auctoritate Apostolicâ, & ex certa scientia, tenore præsentium statuimus & ordinamus, ut ad Decanatus ipsos, quoties illos de cætero perpetuis futuris temporibus in quibuscumque etiam Apostolicis mensibus vacare contigerit, præterquam, si illi per modos reservationum in aliis Nostris literis sub præsentis data expeditis exceptos reservati non fuerint, per eos, ad quos jus eligendi personas ad eoldem Decanatus aliàs de jure, vel consuetudine, si cessarent Apostolicæ reservationes, spectare dignoscetur, quibusvis per Nos & successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, aut Sedem Apostolicam de eisdem Decanatibus, etiam si dignitates in Collegiatis Ecclesiis principales fuerint, ac etiam ratione personarum illos obtinentium, vel aliàs pro tempore factis specialibus vel generalibus, præterquam præmissis re-

*Electio ad
Decana-
tus in quo-
cumque
mense va-
cantes con-
ceditur
Ordinariis
Leodiens-
ibus.*

reservationibus, etiam cum irritantis interpositione decreti, nequaquam obstantibus, personæ idoneæ iuxta formam iuris communis eligi, electiꝫ ipsi, si Decanatus principalis dignitas fuerit, illiusꝫ fructus, redditus & proventus ad summam sex marcharum argenti secundum communem estimationem valorem annum ascendat, iuxta alias ordinationes Nostras à Nobis, si verò ad huiusmodi valorem non ascendat, aut si principalis dignitas non fuerit, ab illo ad quem de iure, vel consuetudine electionis spectat confirmatio, si maluerint, confirmari debeant.

Excipiuntur à quibusvis gratiis expectativis, & nominationum indultis,

III. Et insuper volumus, & auctoritate prædictâ decernimus, quod præfati Decanatus in quibuscumque mēsis vacaverint, sub gratiis expectativis, specialibus vel generalibus reservationibus, nominationibus, nominationi vel conferendi beneficia Ecclesiastica facultatibus, aut aliis ad vacantia, vel vacatura beneficia, etiam motu & scientia similibus quibusvis personis, sub quacumque verborum forma, & cum quibusvis derogatoriis clausulis per sedem Apostolicam, vel Legatos eius pro tempore concessis, aut concedendis literis minimè comprehendantur, nec illarum prætextu acceptari, aut de illis provideri valeat, sed ab illis sint, & omnino censeantur excepti.

Clausula derogatorie.

IV. Non obstantibus reservationibus & aliis præmissis, ac quibusvis etiam super eisdem reservationibus, aut aliàs per Nos vel dictam Sedem pro tempore factis, & editis Constitutionibus & Ordinationibus, seu Regulis, quas, nisi de præsentibus Nostris literis, & earum data, ac

Clero

Clerō Civitatis & Diœcesis prædictarum signanter mentionem expressam fecerint, nullum statuto, ordinationi, & decreto ac voluntati præmissis præiudicium generari posse volumus, cæterisq; contrariis quibuscumque.

V. Nos enim ex nunc irritum & inane decernimus, *Decretum irritans.* si secus super his à quoquam quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

VI. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam Nos *Sanctio penalis.* strorum statuti, Ordinationis, voluntatis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, tertio decimo Kalend. Februarii, Pontificatus Nostri anno primo.

D. De Piscia.

§. 19. Quod sanè indultum supervacaneum foret, si Decanatus & aliæ dignitates inferiores non subiacerent Concordatis Germaniæ; hinc optimè addit *Simonetta de reservat. quest. 39. num. 2.* eos qui procedunt ad electiones non obstantibus reservationibus, esse in latissima culpa, & non sine dolo, dum rei ad alium pertinenti se immiscant, *l. cum quarebatur. II. C. unde vi.* *Vnde Ordinari de iis in mensibus Apostolicis disponere nequeunt.*

§. 20. Sed notare libeat, quod ab hac generali Concordatorum alternativa quæcumque beneficia in mensibus Pontificiis vacantia sedis Apostolicæ dispositioni reservante in tantum excipiuntur Leodienses, in quantum per speciale indultum Apostolicum à Pio Papa II. concessum anno 1458. & à Sixto IV. summo Pontifice confirmatū anno 1470. uti ostē- *Leodienses ex speciali privilegio conferunt in quocumque mensis beneficio.* *dant.*

non excedens duas argenti marchas.

dam *infra tit. 3. dub. 1. §. 14. 15. & 16.* gaudent facultate conferendi beneficia Civitatis & Diocesis Leodiensis in quocunque mense vacantia, quæ non excedunt duas argenti marchas, id est, duodecim ducatos de Camera; marchâ siquidem argenti puri iuxta *Gomezium ad reg. de valore exprim. quest. 9. VVamesium in consil. canonic. tom. 1. consil. 237. num. 20. Chokier ad preces primar. sect. 4. lit. R.* valente sex ducatos de Camera. Quo privilegio etiam gaudent Cameracenses, referente eodem *VVamesio in consil. canon. tom. 1. consil. 236. num. 1.*

In aliis autem sex mensibus vacantia reservant Ordinariis.

§. 21. *Respondeo quartò*, eadem quoque dignitates, dummodò non sint maiores post Pontificalem in Cathedralibus, & principales in Ecclesiis Collegiatis, quas *suprà hoc tit. & dub. §. 9.* Sedi Apostolicæ specialiter reservatas ostendimus, & quæcumque beneficia Ecclesiastica, electiva & collativa, in sex aliis, videlicet *Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris* mensibus vacantia, Ordinariorum dispositioni, electioni, aut collationi esse reservata, sicuti clarè loquuntur dicta Concordata *suprà num. 5.* Et sic, ne Ordinarii quererentur, Pontifex æquâ lance annum inter se, & eosdem dividit, ipsis sex, sibi autem aliis sex mensibus reservatis, ut nimirum Ecclesiasticorum, & Ecclesiarum quæ sunt per orbem, maior sit communicatio, & coniunctio cum Ecclesia Romana matre sua, dum non solùm in spiritualibus, quæ sæpè parùm curantur, sed etiam in temporalibus, & proventibus Ecclesiasticis ab ea dependent. Quò enim in pluribus ab ea dependent, & ad eam confugere debent, eò magis reverentur, amant, & in iis, quæ ad fidem, mores, & sacra ministeria pertinent, se illi submitunt; quod si in nullo ab ea dependerent, facilè unio Ecclesiæ per schismata dissolveretur, prout non incitè respondit *Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dubit. 10. num. 48.* Meritò ergò menses anni partitus est inter se, & Ordinarios.

Sive per obitum vacantia sive de iure, licet congrarium sit prebabilium.

§. 22. *Respondeo quintò*, verisimile esse, quod alternativa per Concordata concessa non solùm habeat locum in beneficiis vacantibus per obitum, sed etiam per affecutionem secundi incompatibilis, per renunciationem, privationem, matrimonium

monium contractum, & ingressum religionis; ad modum alternativa Regulæ VIII. nunc IX. Cancellariæ Apostolicæ, cum non videatur esse illius ab hac discrepantia, Zerola in *praxi Episcop. par. 2. verb. Alternativa. §. 1* ubi scribit, quod si vacet beneficium per affectationem secundi incompatibilis in mense Papæ, quod valeat alternativa, & non possit Episcopus conferre; ideò Episcopus, qui vult privare aliquem beneficio, sit cautus, ut faciat cadere privationem in mense suo, ad hoc, ut possit de illo disponere, ita Zerola *loc. cit.* quem sequitur *simonetta de reservat. quest. 99. num. 9 & seq. usque ad fin. Chokier in comment. ad reg. 8. cancell. num. 23. & gloss. 7. ad eandem reg. num. 2.* tamen iuxta eundem Chokier, qui satis ambigüè in hac materia de Concordatorum alternativa loquitur, verosimilius est, quod beneficia ipso iure vacantia, de quibus latè tractat dictus Chokier *cit. gloss. 7. ad reg. 8. num. 12. 13. & seq. & Barbosa de off. & potest. Episc. alleg. 57. num. 199. & seq.* sic sint affecta, seu reservata Papæ, ut etiam si vacent in mense Ordinario, non possit Ordinarius in Germania vigore Concordatorum ea conferre, sed solus Papa. Ideoq; beneficia hæreticorum etiam in mensibus Ordinariorum vacant soli Papæ, prout & beneficia vacantia ob non publicam tam intra tempus constitutum Resignationem, vel committam Simoniam; utpote sedi Apostolicæ reservata per Constitutiones Pij IV. & V. ac Gregorii XIII. Summorû Pontificum ea de re editas, de quibus vide Branden *ad Concordat. quest. 10. Gonzalez ad reg. 8. Cancell. gloss. 51. num. 101. casu 24. & num. 102. casu 25. Piafec. in praxi Episcop. part. 2. cap. 5. art. 1. num. 5. Chokier loco præcit. à num. 20.*

Pij Papæ
4. Constit.
85. & Pij
Papæ 5.
Constit. 29.
& 85. nec
non Grego-
rij Papæ
13. Constit.
66. & 85.
Bullarij
30m. 2.

§. 23. Item & beneficia vacantia per promotionem ad Episcopatum Papa expressè sibi reservavit, tam per Constitutionem *Ad regimen. Concordatis Germaniæ incorporatam, sicuti ex iis de liquet supra. sub n. 3. uti sequitur, Rursus Monasteria, Prioratus, dignitates, personatus, Decanatus &c. etiamsi ad illa persona consueverint, seu debuerint per electionem, seu quemvis alium modum assumi, quæ promoti per Nos, seu auctoritate Nostrâ ad Patriarchalium, Archiepiscopaliû & Episcopaliû Ecclesiarum, nec non monasterios*

Beneficia
per promo-
tionem ad
Episcopa-
tum va-
cantia
summo
Pontifici
sunt reser-
vata.

naſteriorum regimina obtinebant tempore promotionum de ipsis fa-
ctarum, nunc quocumque modo vacantia, aut imposterum vacatura
&c. ordinationi, dispositioni Noſtræ &c. reservamus. quàm per
Regulam XXVI. Cancellariæ Apostolicæ. Quibus conformi-
ter decidit Rota apud Branden ad Concord. quæst. 12. notab. 3. &
Chokier ad reg. 24. alias 25. Cancell. num. 19. quæ decisio, ut in-
quit idem Chokier ibid. num. 24. notanda est pro Capitulis
Germaniæ, quæ plerumque eligunt Præpositum, vel Decanum
in Episcopum, & ab eo recipiunt renunciationem Præposit-
ræ, vel Decanatus, & eligunt alium Præpositum vel, Decanum.
Nam talis electio est nulla, & Decanatus, aut Præpositura ma-
net Pontifici reservata, & possessio electi est vitiosa, Aegid.
decis. 498. cùm intra tempus electionis & confirmationis con-
firmandus resignare minimè possit, tum ex supradicta Regula
XXVI. Cancellariæ, tum Constitutione Ad Regimen. Bran-
den ad Concord. quæst. 7. num. 2. & 3. ac quæst. 9. num. 1. & seq.
Chokier loc. præcit. & ad reg. 8. gloss. 11. num. 30.

Non tamē
beneficia
Episcopo-
rum titu-
larium seu
suffraga-
neorum.

§. 24. Nota tamen hanc reservationē nō procedere in Episco-
patibus titularibus in partibus infideliū existentibus, quales cō-
ferri solent aliorū Episcoporum in Pontificalibus vices-gerenti-
bus suffraganeis dictis; quia per illos non amittuntur alia be-
neficia, cùm non possint assequi possessionem ipsorum, nec per
illos stet, quò minus assequantur. Achill. de Grass. decis. 2. de elect.
num. 1. Granut. ad Simonett. quæst. 27. de reservat. num. 7. Na-
varr. lib. 1. consil. 14. num. 3. de elect. Flamin. Paris. de resignat. lib.
3. quæst. 1. num. 9. & 89. & quæst. 6. num. 49. Piaſec. in praxi Epi-
scop. proæm. num. 24. Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 34. dubit. 27.
num. 139. Garcias de benef. par. 11. cap. 6. num. 24. Barbosa de off. &
potest. Episc. par. 3. alleg. 57. num. 74. Layman Theol. moral. lib. 4.
trac. 2. cap. 8. sub num. 4.

DVBIVM